

DEA SIGNOR. CONTE NICOLÒ
CASONI.



O Quae Romuleas inter spectanda puellas
 Incedis Virgo, flosculus ut nitidus:
 En tibi nunc cupido jungenda est dextra Marito,
 Atque sinu mollis concipiendus Amor.
 Cur pavor in teneros gelidus diffunditur artus,
 Purpureasque genas occupat, atque oculos?
 Quid metuis? tristi ne turbes lumina fletu,
 Nec tua singultu pectora rupta sonent.
 Virginibus, fateor, castus pudor insidet ore:
 Gestit at illarum mens tamen, atque animus
 Connubia, & molles nam suspirant Hymenaeos,
 Grataque corporibus praelia concipiunt.
 Num fles, quod dulces amplexus linquere Matri,
 Conveniatque procul ferre pedem Patria?
 Justa tibi certe non est haec causa doloris,
 Mater enim, Fratres, cunctaque Sponsus erit.
 Tum qua celsa sedet pulcherrima Mergelline,
 Pausilypusque caput projicit aequoribus,

Et

Et fortunatae Nesidos littora adibis,
 Quaque unda Aenariae frangitur in scopulos.
 Centum formosas illos habitare recessus
 Fama est, Neptuni quae decora alta, Deas
 Formosas eisdem, tecum sed si aequiparentur,
 Victae abdent vultus in cava saxa suos.
 Junge libens igitur niveam TERESIA dextram,
 Nec differ lusus, deliciasque tori:
 Hinc Vos felicem placide producite Noctem,
 Et vestra unanimi tradite Colla jugo.
 Tu jam non Virgo, meliori at praedita formâ
 Incedas pleno conspicienda finu;
 Et carpes tenerae dum florida tempora vitae,
 Hoc age, ut illustri prole Domum repleas.
 Nascantur belli, qui densa per agmina caedes,
 Diraque telorum vulnera sustineant.
 Nec dubitent mortem virtutis amore subire,
 Et possint Patruum reddere consilio.
 Nascantur Sacros quibus & sapientia honores
 Conferat, & Pietas, puraque Religio.
 Si vero alterius tibi dentur semina sexus,
 Te referant vultum, foemineumque decus.

